

Oratio de simplicitate naturae, anatomicorum admiratione, chirurgorum imitatione dignissima. Publice dicta ... die XVI Decembris MDCCLXXI, cum ordinariam anatomiae et chirurgiae professionem auspicaretur / [A. Bonn].

Contributors

Bonn, A. 1738-1818.

Publication/Creation

Amstelaedami : Apud Petrum Mortier, 1772.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n59kvcdw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

221
et
at VI

A.

DIP
18

ANDREAE BONN
O R A T I O
D E
S I M P L I C I T A T E N A T V R A E,
A N A T O M I C O R V M A D M I R A T I O N E,
C H I R U R G O R U M I M I T A T I O N E,
D I G N I S S I M A,

Publice dicta in
M A J O R E A T H E N A E I A M S T E L A E D A M E N S I S
A C R O A T E R I O,

Die XVI Decembris MDCCCLXXI,
Cum ordinariam Anatomiae et Chirurgiae Profes-
sionem auspicaretur.



A M S T E L A E D A M I,

Apud PETRUM MORTIER, Civitatis ac Illustris
Athenaei Typographum. c i o i o c c l x x i .

ANDREEAE BONNI

O T A Y O

D E

SIMPLICITATE NATVRAE
ANATOMORVM ADMIRATIONE
CHIRURGORVM IMITATIONE
DIGNSIMA

Pplics digg in

MAJORIS ATHENAE AMSTELAEDAMENSIS
ACROATERO

Dis xxi Decembri mcccxxii

CERTO-COMITIALEM ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ PRACTICE
IUDICIALEM SIMPLICITATEM



AMSTELAEDAMI

AB PETRUM MORTIER, Quidam ex sufficien-
tia Appresso Typographum eiusdem ex anno

V I R I S
NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS,
CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS
C O N S V L I B V S,
ILLVSTRISQVE ATHENAEI
CVRATORIBVS,
O R A T I O N E M H A N C
E A , Q U A P A R E S T , V E N E R A T I O N E
D . D . D .
A V C T O R .

V I R I S

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS

CIVITATIS AMSTERDAMENSIS

CONSELLIBVS

ILLUSTRISSIME ATHENAE

CARTATORIBVS

ORATIONEM HANC

AN GOUDSEER VENDE

D.D.D.

ACTOR.

ANDREAE BONN
ORATIO,

DE

SIMPLICITATE NATURÆ, ANATO-
MICORVM ADMIRATIONE, CHI-
RVRGORVM IMITATIONE,
DIGNISSIMA.

PERILLVSTRES AC GENEROSISSIMI
CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS PROCE-
RES, PRAETOR, CONSVLES, HVJVSQVE
ATHENAEI CVRATORES, NOBILISSIMI, VIRI,
NATALIVM SPLENDORE, MAXIMISQVE IN
REMPVBLICAM MERITIS, CONSPICVI.

GRAVISSIMI JVDICES, SENATORES, QVIQVE
IIS, VEL A CONSILIIS ESTIS, VEL A
TABVLIS, VIRI SPLENDIDISSIMI.

FVLGENTISSIMA ORBIS LITTERATI LV-
MINA, QVARVMVIS SCIENTIARVM PRO-
FESSORES CELEBERRIMI.

TVQVE QVI HOC IN ATHENAEO, PVBLICA
CONDECORATVS AVCTORITATE, MATHE-
SIN ATQVE ASTRONOMIAM PROFITERIS,
VIR ACVTISSIONE.

SACRORVM MYSTERIORVM INTERPRETES,
FIDELISSIMI, CASTISSIMI.

QVARVMVIS ARTIVM AC DISCIPLINARVM
DOCTORES, ERVDITISSIMI, CONSULTISSIMI,
EXPERTISSIMI.

QVOTQVOT PRAETEREA, AD HVNC SOLEM-
NEM ACTVM HONORIFICA VESTRA PRAE-
SENTIA CELEBRANDVM, TAM FREQVEN-
TES CONFLVXISTIS, CIVES, HOSPITES, CV-
JVSCVMQVE ORDINIS ET LOCI, AUDITORES
SPECTATISSIMI.

TV DENIQVE FLORENTISSIMA JVVENTVTIS
CORONA, SPES PATRIAЕ, PARENTVM
VOLVPTAS, NOSTER AMOR.



otius naturae contemplationem ad pri-
mam et necessariam nos ducere caus-
fam, nemo est qui dubitat. Nec mi-
nus sane hoc animadvertere licet, si quis singulas
ipsius naturae partes paullo accuratius considerare

EVQVT

8 A

et

et explicare velit. Sustineat enim aliquis animo per spatia coelestia excurrere, telluris superficiem lustrare, in intima terrae viscera penetrare, sive oceanii fundamenta perscrutari, omnia haec eorumque partes universas summam Sapientiam, ingenti cum Potestate conjunctam sibi vindicare, Deum auctorem agnoscere, ejusque immensas virtutes celebrare, facile intelliget.

Praeter has tamen virtutes divinas, undique conspicuas, quibus quaeque res suam existentiam, durationem, vim debet atque motum, etiam peculiaria quaedam divinae naturae vestigia comprehendimus, nempe Simplicitatis, quae nulli, nisi principio perfectissimo, spiritui purissimo propria, in solis Dei operibus quaerenda est et invenienda.

Propositum hocce nullum vobis dubium movere opinor, A. O. O. H. Etenim non solum ex totius mundi ornatu, tantaque pulcritudine coeli, tan-

taque

taque vi et magnitudine maris atque terrarum, verum etiam ex minimis earum rerum partibus, proprie sumtis et ad rectam rationem reductis, plane intelligitur, haec omnia effecisse, dispossuisse, servare et administrare Deum. Quare ne quis haec paradoxa esse censeat, simplicitatem partium compositioni tribuere: si enim animum advertat ad unamquamque rem, quam maxime compositam, eamque penitus introspiciat, fentiet omnino, ex illius admiranda structura variisque dotibus, alias aliis inservire et quasi succurrere partes, omnes ad certos tendere scopos, propriis que suis virtutibus ac facultatibus dicendas atque habendas esse perfectissimas. Nec ullum tamen praeclarious hujus disputationis argumentum afferri potest, quam ex tota hominis fabricatione perspecta et cognita, cuius omnis figura atque perfectio, omnes partes aequae externae atque internae,

adeo

adeo divinitus constitutae sunt, ut nihil harum sit supervacaneum, nihil tam simplex atque parvum, quod non ad vitam sustinendam omnino necessarium sit.

Neque non eandem simplicitatis viam observare licet in doctrina morali, iisque vitae scientiis atque praceptis, quae tantum hominibus accommodata sunt.

Notitiam Dei, qui que ei debetur cultum hominum animis esse impressum, naturalis Theologia aequa ac revelata docet.

Juridici, aequitati consulentes, naturae jus simplex pro fundamento civilis agnoscunt.

Philosophi, neque abstracta quam vocant, metaphysica consideratione, neque physicae regulis a natura ipsa mutuatis, magno licet adhibito labore atque apparatu, semper se attingere et explicare posse phoenomena, quae natura paucis efficit, aperte et ingenue confitentur.

Naturalis historiae cultores quorum sedulae rerum mirabilium indagationi hodie tanta debemus, continuo nova simplicioris naturae specimina detegunt.

Maxime autem Medici, qui saluti humanae praefidem artem profitentur et sanitatem aegris promittunt, Medici, dico, quam maxime optata occasione fruuntur, ut in praestantissimo illo humani corporis artificio simplicem illam divini Auctoris notam deprehendere possint; atque hoc eo majori cum voluptate, quod inde humani generis saluti tantum boni redundet, et quod, ipsa praecipiente natura, normam sibi in arte fingere valeant, juxta quam optima incedendo via, tuto celeriter et jucunde, male affecta, tam externa quam interna, sive victu, sive medicamentis, sive manu restituere queant.

Medicum ergo præ ceteris simplicitatis naturae studium decere, mecum persuasum habeatis, A. O. O. H. neque mea persona indignum vel ab hocce

solemni ritu alienum omnino judicetis, si talem mihi elegerim Orationis materiem.

A teneris enim, ab optimo Parente, cuius mortem media hacce solemnitate plurimum lugeo, salutari medendi arti destinatus, et sic structurae humani corporis explorationi et naturae subministranti medicinae non infeliciter addictus, hodie me honorifico stimulo ad ulteriores progressus incitari sentio.

A nobilissimis hujus Civitatis Amstelaedamensis Consulibus, Illustrisque hujus Athenaei Curatoribus, patria in urbe et in iisdem, in quibus me olim, clarissimo CAMPERO duce, eruditum glorior scholis, Anatomiam et Chirurgiam profitendi atque docendi munere et auctoritate ornatus, hanc mihi demandatam provinciam publice auspiciaturus, *de Simplicitate Naturae, Anatomicorum admiratione, Chirurgorum imitatione, dignissima, verba facere decrevi.*

Ne vero cathedralm hanc, ad eloquentis oratoris
vices sustinendas, temere concendi videar, te-
nuitatis virium probe conscius, me plane imparem
recte et ornate dicendi arti declarasse, nisi mihi,
prima vice verba facienti et publico ac solemni
instituto ritui huic obedienti, etiam aliquid de
Vestra benevolentia exspectare liceret.

Non itaque tanquam oratori, vel cuidam dicendi ma-
magistro, sed veluti homini inexercitato, qui officium
suum sequitur atque usum, ut mihi faciles praebca-
tis aures, A. O. O. H. et huic meae, Tullianae elo-
quentiae minus habenti, quam simplicitati natu-
rae intentae, Orationi indulgeatis, etiam atque
etiam rogo.

Definitioni multis immorari verbis, variasque de
Natura discutere sententias, nec nostra ratio nec
tempus finit. Liceat hic per Naturam intelligere
viam actuosam, eum apta rerum fabricatione con-

junctam. **O**mnis interea nostra disputatio quam maxime in corpore humano sese occupabit, quoniam omne id, quod de communi rerum natura dici potest, humanae etiam naturae convenire, neminem inficias ire credo, modo hominem ut parvum mundum, omnium rerum creatarum qualitates atque vires habentem, considerare velit. Tali enim contemplatione veram humanae praestantiae acquirimus ideam, atque ita pulcerrimam hominis constructionem, nullis orationis ornamentis adaequandam, naviter investigando, atque ejusdem Artificem cognoscendo, in summam admirationem et venerationem erga Deum rapimur.

Quid memorem hic totius hominis figuram atque elegantiam? quid aptam membrorum compositionem? quid conformatiōnem lineamentorum? quae hoc ipso omnium oculos movent ac delectant, quod cum lepore quodam inter se consentiunt. Quid dicam

omnium osfium, fibrarum, vasorum, nervorum et reliquorum, quae intus clausa sunt, viscerum structuram atque ordinem? quae omnia, ab aliis miris depicta coloribus, ne actum agere videar, hic reconquenda esse non arbitror. Sufficiat nobis Simplicitatem hujus structurae attigisse, et quantum ei inserviat, tenui ut dicitur penicillo, admirandam illam hominis fabricam, minimam nempe partium compositionem et brevissimum modum agendi, Vobis pro oculos posuisse.

Nemo est, qui non ex hac naturae humanae contemplatione et partium comparatione, diligentia adhibita, nobiscum fateatur, maxima veneratione dignam esse illam, omnibus laudibus majorem, summi Numinis sapientiam, quam in creatione et constructione rerum semper simplicissimam viam secutam esse, deprehendimus.

Quantopere illud Anatomicos oblectare debeat,

eorumque attentionem movere, et solertiam excitare, nullum negaturum existimo, qui verum et sincerum anatomicum apellet, non eum qui, ostentatione aliqua adductus, foeda laceratione demortui corpus discindit et laniat, sed talem, qui artificiosum et divinum hocce opus summa observantia in partes, ex quibus coagmentatum fuit, diffuere et dissolvere conatur; primo ut inde Opificis potentiam perspiciat et veneretur, dein ut senet ipsum cognoscere possit. Hisce principiis imbuti atque commotis, Anatomici quid arte praestare valeant, et quantum illud Medicos omnesque Chirurgos, ad simplicitatem naturae arte imitandam, stimulare debeat, judicetis, A. O. O. H. ubi haec mea dicta exemplis confirmare annitar.

Primum, quod sese contemplationi offert, est habilis ea externa corporis figura, cuius plurimas, ut promisimus, non explicabimus elegantias. Ex his-

tamen silentio praeterire non licet, quod erectum liberis pedibus sese sustinens corpus humanum omni Phidiaceae arti illudat, et quod nullus artifex in statua vel imagine aliqua consequi potuit, hoc a natura, instrumentis motus, animae voluntati subiectis, gravitatis centrum ad lubitum sustinendo, perficitur, ut sese moveat, flectet atque incurvet, quo velit modo, corpus. Intra maternum uterus, pro minore mole, caput intra genua recondens, conglomeratus foetus apparet. In luceni editus infans, manibus atque pedibus repere incipit, quasi quadrupes, brutis sese mox a nativitate sustinentibus inferior; donec, ingeniosa simplicitate, manibus uti, corpus erigere et erectum sustinere, puer addiscat. Flexibilitatis hujus rationem articulata sceleti membra explicare, Anatome demonstrat.

Ne vero pallidae hujus mortis imaginis descriptio-

nem

nem exspectetis; A. A. suaviora nobis offeruntur, originis nempe et incrementi Ossium gradus, quorum, praeter tot alia inventa, pleniores cognitionem incomparabili naturae simplicitatis atque veritatis scrutatori, immortali B. S. ALBINO, debemus (a). Quod molle ac perlucidum gelatum ab initio refert, hoc in duram et candidam cartilaginem abire, puncta ossea, unum vel plura, in medio et denique in extremis nata, crescere, et sensim totam cartilaginem occupare, pro simplicitatis argumentis hic abunde militant: nec intellectu difficilior hujus utilitatis ratio est, cur in foetu leviora membra, in nato et adulto sensim firmiora requiruntur. Praeterea quid de ossium commissuris addam? ubique nostram opinionem vectes, ginglymi, cunei et reliqua affirmant, quibus, naturae simplicioribus exemplis, leges constantissimae ad mechanicas artes pro regulis desumuntur.

C

Ea-

(a) B. S. Albini icones oss: foet: hum: p. 150.

Eadem ratione Anatomicorum industria, in carneā rudi massa Musculos, motus instrumenta singularia, sceleto applicata, detexit, et in fibras atque fibrillas ope cellulosae telae, a cl: HALLERO celebratae (*b*), connexas distinxit: ubi simul tendinea et graci- liora plerumque extrema, duobus ossibus inserta, et contracto medio musculo sibi invicem adducta, articuli flexuram explicare didicerunt. Illud autem, quod ex natura vectis et obliquiore tendinis prope centrum motus insertione sequitur, virium dispen- dium, nonne totidem potentiss, quot musculofae ibi sunt fibrae, cooperantibus et sublevandum onus eo facilius superantibus compensatur, hocque pro virium compendio, naturae simplicitati hinc et veri- tati consentaneo, habendum esse videtur?

Instrumentis hisce motus animam, corpori asso- ciatam, quodammodo imperare, nulla hic loci argu- men-

(*b*) A. Halleri elementa Physiologica, tom: 1. c: 2. it: tom: 4.
c 11. § 7.

menta postulat: non vero hoc nisi intercedentibus aliis fieri Anatome sine dubio persuadet.

Quam late enim animale regnum patet, a bestiis serpentibus ad hominem gradientem usque, in omnibus hisce singulare viscus, Cerebri nomine, capite contentum, et quod, in homine maximum, propriaecipua sua sede mens conscientia agnoscit, invenitur. Anatomicae contemplationi hoc plurima simplicitatis egregia specimina offert: attendamus, verbi causa, ad corticalis substantiae miras convolutiones et anfractus, quibus latior multo reddita superficies, eo plura vasa ex ambiente pia meninge recipit, cum simul ipsa angustiori cranii capacitate continetur; nervulos inspiciamus ex cerebri medulla oriuntes, et meningum ope in fasciculos collectos, unde ad quemcumque movendum musculum animalis nifus sive impetus brevissima via derivetur. Mirabilis hic est, prae subtilitate non definienda,

medullaris pulpa et fabrica gangliorum, quae celeberrimus **MORGAGNUS, LANCISIUS**, aliqui
investigarunt. Quam caute denique naturae Moderator,
durae meningis processus lobis cerebri et cerebello
interposuit, ad mollissimum illud viscum in laterali
decubitu, vel erecto situ, sustinendum!

Verum enimvero anima nostra, et sui et corporis,
cui inhabitat, conscientia, non solum imperii quasi fasces
ope nervorum tenet, sed simul ut, utriusque salutis
invigilans custos, eorumdem interventu rerum exter-
narum notiones acquirat.

Variam hic Sensuum, tamquam mentis satellitum
et interpretum rerum, dispositionem miramini me-
cum, A. A. H. H.

Eleganti parsimonia Deus primo Tactum, toto cor-
pore aequabiliter fusum, cum amplissimo velamen-
to externo in unum coniunxit; et qui in digitorum
extremis tactus est exquisitissimus, nerveis cutis pa-

pil-

pillis, simplicissima cuticula munitis, unice debetur.

Quae nares intus vestit membrana, Olfactum constituit. Quid ibi simplicius et verius poni posset, quam quod odorata et volatilia corporum effluvia ab humore mucofo, quem semper membrana haec et ossium spongiosorum anfractus habent, recipientur, et ex brevissima hic distantia, ut in tactu ex longinquiore, perceptio menti nascatur.

Mobilissima lingua, praestantissimum loquacis instrumentum, eodem tempore Gustatum, sensum ex omnibus maxime voluptarium, praebet, staminibus nerveis papillarum admodum conspicuis: ubi simul non sine oblectatione convincimur, molliorem ibi cuticulam, turgentem saliva irrigatas papillas et corpus gustandum liquefcens, ut illis quasi imbibantur sapores, requiri.

Diversa ab hisce fabrica se offert implicatum Auditus organum, in quo ne vestigium simplicitatis inve-

niri crederetur. Undas interim sonoras, sive leviori zephyri susurro sive tormenti explosione agitatas, molliorem et expansum nervum requirere, ratio et experientia suadent. Nullibi ergo tutius, nec ullibi aptius quam intra cochleam, petroso ossi insitam, expanderetur; dum, flexuoso itinere, tympani membranam allidentes sonos, ossiculorum tremulo motu, labyrintho innato aëri communicari, sicque nervulos affici posse anatomice constat.

Inexhausta Divina Sapientia membranaceam nervi expansionem demum pro Visu adhibuit. Mittimus quoque hic simplicem illam pulcritudinem, et quas pro tutela, motu aut irrigatione, partes divinus Auctor circumposuit. In ipso oculo cornea, scleroticae tunicae perlucida fenestra, lucis radios transmittit; choroideae continua contractilis iris eisdem, per pupillam incidentes, radios moderatur; retina cum iisdem afficitur, objectum menti repraesentatur. Neque parum ad-

juvant ibidem contenti humores: vitreus retinam intra globum expandit; aqueus iridem in situ servat, corneamque extendit; in medio inter duos tenuiores humores posita crystallina lente, radiorum convergentium ac divergentium doctrina et physica ratio, naturali experimento, eruitur. Neque partem aliam praeter opticum nervum, in retinam expansum, pro visus instrumento agnoscendam esse; neque inversam, in retina pictam, imaginem visum efficere; sed a quacumque parte objecti reflexos lucis radios, retinam in tot punctis feriendo, illud suo in loco repraesentare erectum, sicutque ejus ideam menti imprimere, naturae simplicitas et recta ratio suadere videntur. Summum sane artificium! Legum naturae simplex collectio! Optices compendium!

Praeter evidentissimum hocce animae atque corporis mutuum commercium, conditio quaedam, sub qua natura vigere dicitur, accedit. Hanc Vitam vocamus, cui, tamquam de singulari signo eas res, quas terra gignit,

con-

consulendo, vasculosam fabricam et motos per eandem humores, quos radiculi e terra sughnt, inservire docemur.

Maximopere Anatomicos delectat, easdem quoque naturae leges et hydraulicae speciosa exempla variatae huic structurae omnino adscribi, et quidem brevissima via et simplicioribus instrumentis naturam suum in hisce absolvere opus. Vasorum nempe ampliorum truncos medium intra thoracem, tamquam in centro machinae, summus Auctor collegit, qua ratione hominem inversam plantam vocare nonnullis placuit.

Splendidissimam, circa haec, physiologiae lucem affudit immortalis HARVAEI industria detecta, et RUYSCHIANA injiciendi arte confirmata, veri perpetui mobilis instar sibi semper renovata caufsa, Circulatio, quae arteriarum atque venarum invicem sibi inosculatis finibus absolvitur; ubi cor, natura musculosum et fons vitalis caloris, sanguinem, a venis recep-

tum

tum, contractione sua in arterias propellit. Summa interim admiratione compositionis in corde simplicitas Anatomicum perfundit; ubi, quod fere aenigma videretur, nudis tamen oculis verissime agnoscit, quod eodem scilicet temporis momento, alterna sinuum et ventriculorum contractione, cor sanguinem recipiat ac propellat, impedientibus valvulis regressum; et dum lenissimo affluentis sanguinis stimulo ad id excitetur, arteriarum muscularis tunica et valvulae venarum circulationem secundent.

En vero! alterum ac simplex, quod hic totum non describam, compendiosae naturae, Respirationis artificium! Homo, alia adhuc ratione, inversa planta dicendus! Pulmonum similis spongiis mollitudo, et in hac aëriferum vasorum genus, tracheas, per totam plantam dispersas, supplet: simulque inspiratus aër, in exspirando glottide et lingua modificatus, humanae loquelae articulatos sonos five voces edit.

Ad multiplicis et tortuosí alvi partes atque functiones transfire deberem, A. A. H. H. Ne autem attentione vestra diutius anatomicis speculationibus abutar, pauca tantum e plurimis leviter hic attin gam.

Epiglottis optime laryngis operculo inservit, muscularum constrictorum faucium atque pharyngis nec non cibis dilatati stomachi successiva fibrarum contractio, deglutitioni; ventriculi pleni, spontanea fundi inversio evacuationi, et ad digesta propellenda optime conductit intestinorum vermicularis motus; quorum internam superficiem mire augent valvulae, ubi villi plantarum radiculas aemulantur; lactea denique vasa, per mesenterium distributa sunt, unde oriens thoracicus ductus chylum, sanguinis pabulum, sinistram subclaviae venae instillat. Nonne haec omnia, ne de visceribus aut glandulis, cujuscumque laticis secretoriis organis, verbum

ad-

addam , tanquam ingeniosissima incredibilis naturae simplicitatis specimina , hic recenseri merebantur?

Recolligendo denique generalem cavitatum considerationem , pro simplicitatis argumento constanter analogiam hic notamus , quod membrana interna cavitatis contento intus visceri cuicunque externam propriam tunicam largiatur. Singula haec ut decet celebrare , vetat nimis jam producta Oratio , quare caetera persequamur.

Constat inter omnes , non hominem in tanta rerum admirabilium varietate , quae undique ingenti copia sese offerunt , solunmodo esse possum ut has adspiceret , coque contentus , tanquam inanis speculator de scena discederet ; sed multo magis cum coelum , terras , maria , totam denique naturam perspexisset , ut oculorum , sic ingenii aciem exacueret , sese daret investigationi rerum , in earum caussas inquireret et effectus , quid unicuique rei proprium

effet, animadverteret, hinc justa conclusione regulas: formaret, atque ita sibi et universo hominum generi aliqua ex parte consuleret. Innata enim atque insita est omnibus incredibilis quaedam discendi, cognoscendi atque inveniendi voluptas, qua nulla major hominibus data est, et quae ad beatam vitam proxime accedere videtur, ubi certe nos, omni cura liberos, totos in rerum coelestium contemplatione ponemus. Atque haec quidem scientiae cupiditas tanta est, ut omnes molestias, vigilias, atque labores, libenter suscipiamus, neque quicquam refugiamus, quo minus ad id, quo tendimus, perveniamus.

Certo animus in actione consistit, omne reformi- dat otium, desidiam respuit, aversatur inertiam: unde nulla major homini laetitia exoriri potest, quam ut, inventa materia, in qua ingenii sui vires exerceat, hanc naviter tractet, sibiique hoc procedere sentiat; denique suos labores in publicum emittat, et

fructus.

fructus capiat uberrimos, dum alios delectet, plurimis profit, semet ipsum laudibus illustret.

Quam miris modis hic ipsi hominum naturae indigentia opitulatur ac succurrit, quae, quasi poena mortalibus constituta, contra iis solatium afferre vindetur, quoniam, quo intentior animus investigationi rerum, eo magis ab aegritudine avocatur, quae plerumque a nimio otio proficisci solet! Indigentia hominum animos irritavit, huic, tanquam hosti, se opposuit innatum atque insatiabile sciendi desiderium, cui se mox socios adjunxerunt inventio atque exco^{gitatio}.

Quantum his rebus lux affulserit mortalibus, ex quanta inde provenerint commoda, neminem vestrum, A. O. O. H. ignorare credo. Ne prisca illa commemorem, dissipatorum hominum congregacionem, loquelae usum paucis litterarum notis terminatum, tegumentorum ope sese vestiendi modum,

aedificiorum structuram , agri colendi solertiam et reliquum vitae cultum: quot non perpetuo et constanti per tot secula hominum labori atque industriae, quorum alii aliis se tradiderunt artibus atque scientiis, nova debemus inventa? Jam a necessariis ad eleganteria defluximus. Verum horum omnium ne partem quidem attingere temporis , quo circumscribor, angustiae sinunt: tantum dicimus, summos naturae interpretes simplicissimas regulas fuisse secutos , et maximarum artium inventores semper sibi easdem proposuisse leges. Quidquid natura suppeditabat, sedulo arripiebant , et sic suam artem ditabant; innumera certe semper restabunt investiganda , quorum perfectio atque absolutio in his terris non erit quaerenda: quo magis tamen simplicitati studebimus, eo magis ad veritatem accedemus, dum simul, cum nobili Anglo BACONE VERULAMIO, naturam pro artis speculo agnoscimus (c).

Ut

(c) B. Verulamius de augmento Scientiarum Libro 5.

Ut vero ad meum studium revertar, Medicina, quae non immerito a CELSO cum Agricultura comparatur, (d) et cuius praecipuam partem Chirurgia ab antiquis temporibus constituit, eandem originem, immo magis calamitosam agnoscit, neque enim circa sanitatem conservandam, sed amissam restituendam versatur; neque minoribus, quam reliquae, pressa difficultatibus, naturae exemplo et oblatis ipsius praesidiis incepit, et hucusque incrementum capere pergit.

Medicina ita empyrica in usu et experimentis unicæ posita fuit; rationalis in caussas sanitatis et morborum inquirebat maxime: felicioribus nostris temporibus ad illum certitudinis gradum quoque ars salutifera nostra pervenit, ut non amplius ac CELSI tempore conjecturalis sit dicenda, sed et confirmata optimis regulis, a natura ipsa mutuatis, quibus pro norma

(d) A. C. Celsus in praefat: ad Libr. I.

acceptis atque constitutis, uti artifex a fabro, sic **ve-**
rus AESCULAPII filius ab Agyrta distingui meretur.

Ut enim sapientiae et rerum naturae contemplationi antiquitus sociata crevit Medicina; sic summum hoc tempore incrementum ex nova coniunctione adeptum est, ubi, praeter anatomicam perfectiorem cognitionem, et rei herbariae meliorem notitiam, chemica atque physica experimenta suum ad perficiendam nostram scientiam contulerunt: quibus instructa copiis Medicina, majore cum successu, morbos debellare coepit.

Naturam vero semper ducem eligendam esse, sive **Coum HIPPOCRATEM**, Medicinae Principem atque Parentem, sive ejusdem instauratorem **BOER-**
HAAVIUM, Belgii illud nostri decus, sive horum naturae interpretum affectas consulemus, uno ore factentur. Omnes quin et Vos testes hic citare audeo, feliciter adeo naturae subministrando, Medicinae

vel

vel Chirurgiae incumbentes, optimi Practici! quos
cives habere⁹ urbs nostra laetatur, mihique inter
amicos et auditores honoratissimos numérare con-
tigit.

Celeberrimus Anglus ille, SYDENHAMUS,
ulterius processit, ipsos morbos naturae conamina-
vocans (e). Per sensus etenim, corporis saluti invigilan-
tes custodes, de instanti inimico monita natura, om-
nes quasi corporis partes in hostem incitando, peri-
culum ávertere conatur: accidit idem, ubi aliquam, in-
tus tyrannidem exercentem, morbosam materiem sen-
tit. Verum enim vero quoties non, in outroque casu,
languentem fere et oppressam naturam experimur,
vel contra iratam ac fere desperatam, ita saevientem
impetu ac furore, atque adeo indomitam, ut pro-
priam sibi destructionem moliri videatur. Artis
tunc esse naturae succurrere, et illud naturam ab

ab 315

E

arte

(e) T: Sydenhamus Sect. I. Cap. i. V. C. Cogito in qua

arte exigere, plane exitus probat, licet in desperataiore casu non nisi palliativa cura, quantum fieri potest, vita prolonganda sit.

Propria nunc naturae praesidia, quae, ad hostem depellendum, ab arte proficiunt solent, plus minusve validiora requiruntur, et saepe ea conjungi debent. Ita, annotante suo tempore etiam CELSO (f), illa Medicinae pars, quae victu medetur, nonnumquam medicamen postulat; quae medicamentis, semper diaetam et aliquando manum requirit; quae vero manu pugnat, pharmaca plerumque diaetamque simul exigit. Immo hacce copulatione, tanquam aliquo praecepto, natura utriusque Medicinae diversos cultores, Medicos atque Chirurgos, ad intimam contrahendam amicitiam, pro communi humani generis salute, invitare videtur.

Terminus interim, non facilius hic quam inter
dicta

(f) A. C. Celsus in praefationib: libr. v et vi.

dicta naturae regna inveniendum, si tamen quis desideret, ARISTOTELIS quodammodo verbis, quibus physicum a medico distinguit (*g*), cum definire licet, *ubi desinit Medicus, ibi incipere Chirurgum.*

Non ita tamen ac si Chirurgia praestantior foret habenda quam reliquae Medicinae partes; neque ratio est, cur sese extolleret, tanquam opem praeferet, ubi, omni spe curationis pro interna praxi amissa, rem conclamatam naturae relinquendam esse censetur; neque inde, quod aliam substituendo curam, propriis suis excogitatis instrumentis, caussas morborum radicibus extirpare armata manu valeat. Nam etsi nihil detrahendum velimus de hujus inventionis gloria, quae, optimos quin et inopinatos saepius praestat effectus; re tamen bene considerata, non nisi partem curae huic arti esse tribuendam, et naturam quoque in hisce semper opus suum absolvere, confiteri debemus. Itaque si

E 2 ad V. de locis praec.

(*g*) Aristoteles de respiratione, Cap. 21. in fine.

prae caeteris Chirurgia sit laudanda, quod ultimum
solatiuni aegris afferre aliquando valeat; eo quoque
majorem, ad simplicitatem naturae evolvendam atque
imitandam, diligentiam, et in hisce quoque excell-
endi cupidinem, commendabilem quam maxime
existimamus. **Naturae enim humanae contemplatio,**
quamvis non faciat Chirurgum, aptiorem tamen red-
dit, et inter hominis fabricae gnarum vel rudem
idem est discriminis, quod inter coecum et visu-
valentem, sub iisdem tectis commorantes; licet ille
palpando omnes domus angulos acque certo exquirat
ac hic, si tamen insoliti aliquid in via offendit,
progredi non audet, haeret anceps, nescius quo flegetat
pedem, cum interim deliberando saepe aeger perit.
Quantam vero in hisce natura Simplicitatem ostendat, exemplis nunc illustrandum foret, A. A. H. H.
Ne pvero miseriarum, quibus haec vita obnoxia,
recensione taedeat Vos orationis meae, quaedam tan-

tum generaliora, ad confirmandum dictum, adducam.

Ad continui solutiones primum quod attinet, sive in parte molli sive in parte dura contingent, natura in utrisque consolidationi ipsa prospicit, ubi naturale balsamum in his, in illis callum, quo conglutinantur, simplici ac inimitabili arte producit. Chirurgi opus, arte sua naturae succurrenti, unice hic in eo consistit, quod in vulnere labia, in fractura extrema conjungantur, et simpliciore apparatu quieta contineantur, neque externa plaga, antequam fundus coalescat, consolidetur.

Partes in graviori vulnere laesae, quae periculosis saepe symptomatibus stipantur, unice Chirurgiae opem implorant, illiusque usum quam maxime commendant. Attamen non deficit se natura etiam in hisce: statim enim ab inflictu plague effluens cruor, sensim coagulatus, haemorrhagiam sistit; arteria

minor dissecta retrosiliendo se ipsam obturat, quia
et ubi major abrupta, simili modo sibi sufficiunt
naturam, exempla evincunt (b). Quid autem
haec arti ad imitandum proponunt? Nonne media
septa minore arteria, si datur accessus, rescindere
totam; ubi vero major et tota percissa, torculari
applicato, discissi vasis obturationem naturae com-
mittere vel ligatura adjuvare? Neque dissimilem
curationem postulare nervi atque tendines viden-
tur: integre enim dissecti, naturae conatimi nul-
lum obstaculum afferunt; quantam vero laesi
difficultatem et periculum pariant, exemplo lethali-
lis saepe paronychiae experimur.

Tumores, alterum vitiorum genus, sive impeditae cir-
culationis et a tergo impellentis vitalis liquidi, sive sub-
tiliorum humorum, glandulis aliisve partibus impacto-

(b) Confer Ill. v. Swieten, Comment. ad Boerhavii Aphorism:
161. tom. I. pag. 235. et W. Cheselden Anatomy, explic. tab.
38.

rum aut stagnantium, signa sint, easdem, quas in-
eundas monstrat natura, vias pro simplicitatis argu-
mentis offerunt. In illis enim, quae sine vicina-
rum partium noxa non amplius fert natura, re-
solutionem, circulationis aut accensae febris ope,
tentat; hanc vero promouendi impar, ne gangraena
partes invadat, natura aliam ingreditur viam, qua
partes corruptas abscedere facit, quod in parte molli
suppuratione, in dura autem exfoliatione absolvit:
attendant in utroque casu Chirurgus, an langueat natu-
ra, an saeviat, ut rite administrata medela ipsius vo-
luntati succurrat.

Quocunque demum nomine occurunt, neque
natura neque arte sanabilia, haec etiam a manu Chi-
rurgi nullam fere medelam, praeter extirpationem,
expectandam habent. Quam grata natura quoque
hanc artis opem recipit, inde liquet, quod statim ab
operatione plague consolidationem in se suscipiat, modo
vires,

vires, diaeta aut medicamine reficiendae, sufficient.

Quam late insuper campus operationum Chirurgo patet! in quo si non ubique naturae exempla videat, haec tamen plerumque ei illa indicat auxilia, quibus functionum obstacula auferri aut defectus suppleri possunt.

Spontanea abscessuum apertura, in aliis casibus artificialem commendat; salutifera sapientia haemorrhagia venam secare docuit; periculosa morbosae materiae derivatio ad partes nobiliores internas corporis, ad alia via revulsionem promovendam, cucurbitulas, vesicantia et setacea excogitare fecit; vomica, spatia intercostalia praeoccupens, et aquae intra abdomen collectae, umbilicum perforantes, paracentesi sine dubio originem dederunt: immo quantas quidem natura indicationes dederit pro herniarum reductione, cataractae aut calculi extractione, luxatorum membrorum restitutione, sive corruptorum amputatione, pluribus hic commemorare supersedeo.

Quid

Quid vero natura, ad simplicitatem sive sui ipsius sufficientiam commendandam, praestet, nullibi magis perspicere licet quam in praestantissimo ipsius opere, partu, quo foetus utero materno excluditur. Virium ibi efficacia et incredibilis modus agendi, non minus sane ac partium ei rei inservientium fabrica, miraculi naturae (*i*) nomine insigniri merentur: neque enim obstetricantis ullum saepe auxilium, verum hujus et futurae matris patientiam postulat; donec natus infans, vitam indicante ejulatu, vinculis liberari petit. Quin et in variis, quibus foetum expellit, modis natura subministranti arti exempla dedit optima, ubi exhaustae vires vel pravus foetus situs artis opem commendant.

Atque ita in his et in reliquis chirurgicac artis operationibus nudam manum, si fieri possit, armatae preferendam esse, ubi vero instrumentum requiritur, simplex semper composito anteponendum, et

F

sine

(*i*) Swammerdam, tr: de Uteri mulieris Fabrica.

sine ulla ambagibus operationem esse instituendam,
quis non videt?

Ne vero Vos, A.O.O.H. intra Chirurgi offici-
nam, medicum agendo, diutius detinecam: ad jucum-
diora jam, quae hujus diei solemnitas postulat, ex-
hilarata mea sese extollit Oratio.

Ad Vos accedo, NOBILISSIMI REIPUBLI-
CAE AMSTELAEDAMENSIS CONSULES
ET LYCEI HUJUS CURATORES! Quanam
oratione eam commemorabo benevolentiam, qua me,
fere adhuc juvenem, complecti voluistis? Quonam
sermone illud exprimam gaudium, quo me, nec
meritum, perfudistis? quibus denique verbis gra-
tum Vobis offeram animum pro iis beneficiis, quae
in me tam luculenter contulistis? Maximum me
percepisse voluntatis vestrae fructum, summos me
affecutum esse honores, lubens agnosco, idque nun-
quam agnoscere desinam. Contigit enim mihi, quod

nescio an ulli, praeter assiduam vestram Reipublicae et Civitatis nostrae curam, cuius usus mihi communis est cum multis, singularem quemdam, et verum paternum vestrum in me amorem experiri, qui, inferioris subsellii medicus, tanquam ad curules medicae facultatis honores a Vobis fui proiectus, cum mihi Anatomiam atque Chirurgiam publice profitendi atque exercendi provinciam, patria in urbe, mihi carissima, ultro obtulisti.

Spartam vero qui natus est, eum eandem ornare decet, MAECENATES OPTIMI! Si me talem nunc praestitum, qualem me certe fore judicastis, promitto, quamnam rem agam perspicio ac sentio. Sed quoniam ab initio aetatis meae semper gloriae fui studiosus, idque palam profiteri non erubesco, et Vos me in eum evexistis locum, quo, si quam consequar laudem, ea quam maxime conspicere possit, omnibus corporis atque animi viribus contendam, vestro favore et

mea juventute fatus, ut huic etiam vestrae exspectationi et benevolentiae respondeam: praesertim cum nulla gratia tanta sit, quam non ingenuus agnoscat animus; nihil tam difficile, tam magnum atque arduum, quod non indefesso labore et continua vigilancia superari possit. Chirurgicae scholae mihi praeципue est demandata cura, quae ut vigeat, floreat, peritos denique cimitat discipulos, mihi ante omnia proposui.

Deum interea T. O. M. summum omnium rerum humanarum arbitrum, supplicibus veneror precibus, ut Vos, vestrasque inclytas domos, diu servet incolumes et benignitate sua protegat, quo magis patriae salus, civitatis commodum, litterarum amor, et hujus in primis Athenaei splendor illucescat; nec nisi seri et graves annis in eos coelestium adscendatis locos, qui tantum virtuti patent et de patria et litteris bene meritis Viris.

Vos quoque compellare fas est, CUJUSCUMQUE ARTIS AC DOCTRINAE LAUDE CONSPICUI PROFESSORES, VIRI CELEBER-
RIMI! quorum summam eruditionem ac famam, undique suis meritis spectatam, cum considero, Collegas
Vos salutare, vix ac ne vix quidem audeo. Attamen erigit me tam ea opinio, quam forte de me suscep-
tis, quam ea Procerum gratia, qua munitus ad ad Vos accedo. Communis est omnium artium ac scientiarum caussa, et necessario vinculo inter se connectuntur, quas si quis dissociare velit, is omnes destruat necesse est, ad has itaque magis magisque elaborandas, et omni studio propagandas,
pari vigilantia, sociatis viribus enitamur, ut huic ci-
vitati nostrae, quae inter tot urbes caput suum extu-
lit, hoc unicum non desit ornamentum, quod in finu suo alat viros in quovis scientiac generc peritissimos.

De me autem, quantum inferior doctrina Vobis

sim, ipse intelligo; at illud omni opere, labore ac diligentia explere conabor.

Admittite me, VIRI AMICISSIMI! non solum in collegium, verum etiam in summam vestram familiaritatem, quam hic publice ambio, qui omni qua potero observantia, fide atque candore, ut ea dignus fuisse videar, curabo.

Vos tandem alloquor, PRAESTANTISSIMI JUVENES! qui inter tot Palladi consecrata capita, Machaoniae arti dicati eritis, vel jam incumbitis, et quos meas delicias, meamque curam vocare licebit. Vestigia ipse premens optima, hacce solemnitate studiorum vestrorum, amplissimi Senatus jussu, ducem me fisto: siue, una cum reliquis meis Auditoribus, quibus pro benevola sua praesentia et attentione gratum me testor, si, dico, propositis orationis meae exemplis delectati, et ipsi contemplandi atque experiendi cupidi, ad paelectiones meas ali-

quan-

quando accedetis , Simplicitatem illam, plane divinam,
in humano corpore demonstrare et ad imitationem
commendare ita pergam , quemadmodum pro sum-
mis Dei virtutibus , pro artis nostrae incremento,
pro vestro ingenio, aegrorumque solamine , naturae
interpretem atque ministrum decet.

D I X I.



74 O R A T I O

damo, secundis, similes illas, que graviter
in primis certos demonum, et ad invicem
convenientia sis beatam, desiderandum pro fini
mei Dei afflitionis, pro sis longe inservio
pro seruo inuenio, restituendo lossum, misericordia
impetrans utique ministrans deo.

XII





